



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

2 V. fuerit conueniens, quod discipuli viderent Christum resurgere

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

ARTICVLVS I.

Vtrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari.

302.
Sup. q. 36 a.
2. co. Et op. 3.
c. 24. Et 1.
Cor. 15. 60 3.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari. Sicut enim publico peccato debetur pena publica (secundum illud 1. ad Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue) ita merito publico debetur premium publicum. Sed laritas resurrectionis est premium humilitatis passionis: ut Aug. dicit super Ioannem, cum ergo passio Christi fuerit omnibus manifestata, eo publice patiente, videtur quod gloria resurrectionis ipsius omnibus manifestari debuerit.

Tr. 140 in
Io. cir. 51 9.

3. Præterea. Sicut passio Christi ordinatur ad nostram salutem, ita & eius resurrectio: secundum illud Rom. 4. Resurrexit propter iustificationem nostram. Sed illud, quod ad communem utilitatem pertinet, omnibus debet manifestari, & non specialiter quibusdam.

3. Præterea. Illi quibus manifestata est resurrectio Christi, fuerunt resurrectionis testes: unde dicitur Act. 3. Quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Hoc autem testimonium ferebant publice predicando. Quod quidem non conuenit mulieribus, secundum illud 1. ad Corint. 14. Mulieres in Ecclesia taceant: & 1. ad Timoth. 2. Docere mulieri non permitto: Ergo videtur, quod inconuenienter resurrectio Christi manifestata fuerit primo mulieribus, quam omnibus communiter.

Sed contra est, quod dicitur Act. 10. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo.

Et 4. Ca. hier.
à med. 11. ius.

Respondetur dicendum, quod eorum, quæ cognoscuntur, quædam cognoscuntur communi lege naturæ, quædam autem cognoscuntur ex speciali munere gratiæ, sicut in ea quæ diuinitus reuelantur. Quorum quidem, ut Dion. dicit in lib. Cael. hierarch. hæc est lex diuinitus instituta, ut à Deo immediate superioribus reuelentur, quibus mediantibus deferantur ad inferiores, sicut patet in ordinatione cælestium spirituum. Ea vero, quæ pertinent ad futuram gloriam, communem hominum cognitionem exciunt: secundum illud 1. ad Cor. 2. Oculi non vident Deum, absque te, quæ præparasti expectantibus te. Et ideo eiusmodi ab homine non cognoscuntur nisi diuinitus reuelata, sicut Apostolus dicit primæ ad Cor. 2. Nobis reuelauit Deus per spiritum suum. Quia igitur Christus resurrexit gloriosa resurrectione, ideo eius resurrectio non omni populo manifestata est, sed quibusdam, quorum testimonio deferretur in aliorum notitiam.

Ad primum ergo dicendum, quod passio Christi peracta est in corpore adhuc habente naturam passibilem, quæ communi lege nota est omnibus, & ideo passio Christi omni populo immediate manifestari potuit. Resurrectio autem Christi facta est per gloriam Patris: ut Apost. dicit Rom. 6. & ideo immediate manifestata est, non omnibus, sed quibusdam. Quod autem publice peccantibus pena publica imponitur, intelligendum est de pena præsentis vite: & similiter publica merita publice premiari oportet, ut alij prouocentur. Sed pena & premia future vite non publice omnibus manifestantur, sed specialiter illis, qui ad hoc præordinati sunt à Deo.

Ad secundum dicendum, quod resurrectio Christi sicut est ad communem omnium salutem, ita in notitiam omnium peruenit. Non quidem sic, quod immediate omnibus manifestaretur, sed quibusdam, per quorum testimonium deferretur ad omnes.

Ad tertium dicendum, quod mulieri non permittitur publice docere in Ecclesia: permittitur autem ei, priuatim ali quos domestica admonitione instruere. Et ideo sicut Ambros. dicit super Luc. Ad eos femina mittitur, qui domestici sunt, non autem mittitur ad hoc, quod resurrectionis testimonium ferat ad populum. Ideo autem primo mulieribus apparuit, ut multis que primo nuntium mortis ad hominem detulit, primo etiam vitam resurgenti Christi in gloria nuntiaret. Unde Cyr. dicit Femina quæ quondam mortis fuit ministra, venerandum resurrectionis mysterium prima percipit, & nuntiat: adeptum est igitur femineum genus & ignominie absolutione, & maledictionis repudium. Similiter etiam per hoc ostenditur, quod quantum ad statum gloriæ pertinet, nullum de genere humani patitur feminæ sexus: sed si maiori charitate seruebunt, maiori etiam gloria ex visione diuina poterunt, eo quod mulieres quæ Dominum artius amauerunt, in tantum, ut ab eius sepulchro, discipulis etiam recedentibus non recederent, primo viderunt Dominum in gloria resurgentem.

Cop. 1. dicit in
Lucano non
multa ante
mod. 10. 5.

Lib. 12. in la.
c. 51. super il-
lud Vade ad
fratres tuos
dic. eu.

COMMENTARIVS.

Docet D. Tho. non fuisse conteniens, ut Christus coram hominibus publice resurgeret, sicut publice passus est. Quia passio erat quid humanum, & naturale: resurrectio vero gloriosa erat supernaturalis, ideoque conueniens fuit, ut licet passio corporis mortalis coram hominibus manifeste facta sit: resurrectio tamen gloriosa occulte fieret, & per reuelationem hominibus manifestaretur. Quod perspicue facit D. Th. explicat in corp. ar. & in solutionibus argumentorum. Unde (quod ad litteram attinet) non indiget alia expositione. Quod verò tangitur in expositione ad 3. de apparitione facta mulieribus, tractabitur late disputatione sequenti. Aduertendum est autem, supponere D. Tho. Christum non exiuisse de sepulchro clare, & manifeste coram custodibus, vel alijs hominibus, quibus adesse poterant. Quod licet non sit ita expressum in Euangelio, satis tamen aperte ex eo colligitur, tum quia dicitur Christus primo visus à Maria Magdalena, & mulieribus, quod saltem videtur intelligendum de ijs, à quibus publice visus est. Tum etiam, quia narrat Mat. c. vi. custodes exteritos fuisse, & factos veluti mortuos, quando angelus reuoluit lapidem. Quo tempore iam Christus de sepulchro prodierat ipsis nihil cernentibus, neque sentientibus. Et ratio est manifesta: quia ut Christus exiret de sepulchro, non fuit necessarium motionem aliquam fieri, quæ ab astantibus videri, vel audiri posset: quia (ut supra diximus, & art. sequenti docet D. Th.) exiuit clauso sepulchro penetrando lapidem superpositum sine ulla motione. Alias vero, cum resurgeret gloriosus, non poterat videri, nisi ipse vellet, non oportuit autem ut tam facile se ostenderet, præsertim custodibus, & inimicis.

ARTICVLVS II.

Vtrum fuisset conueniens, quod discipuli viderent Christum resurgere.



Ad secundum sic proceditur. Videtur conueniens fuisse, quod discipuli viderent Christum resurgere. Ad discipulos enim pertinebat resurrectionem Christi testificari: secundum illud Act. 4. Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri. Sed certissimum est testimonium de visu. Ergo conueniens fuisset, ut ipsam resurrectionem Christi viderent.

303.

2. Præ-

2. Præterea. Ad certitudinem fidei habendam discipuli ascensionem Christi viderunt, secundum illud Act. 1. Videntibus illis, elatus est. Sed similiter oportet de resurrectione Christi certam fidem habere. Ergo videtur, quod discipulis videntibus debuerit Christus resurgere.

3. Præterea. Resurrectio Lazari quoddam indicium fuit future resurrectionis Christi. Sed discipulis videntibus, Dominus Lazarum suscitavit: ergo videtur quod etiam Christus resurgere debuerit, discipulis videntibus.

Sed contra est, quod dicitur Marc. 16. Resurgens Dominus mane prima Sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalene. Sed Maria Magdalena non vidit eum resurgere, sed cum eum quaereret in sepulchro, audiuit ab angelis, Surrexit, non est hic. Ergo nullus vidit eum resurgere.

Respondetur dicendum, quod sicut dicit Apostolus, Rom. 13. quæ ad Deum sunt, ordinatæ sunt. Est autem hic ordo divinitus institutus, ut ea quæ supra homines sūt, hominibus per angelos reuelentur, ut patet per Dio. 4. c. 40. celest. hier. Christus autem resurgens non rediit ad vitam communiter hominibus notam, sed ad vitam quandam immortalem & Deo conformem secundum illud Rom. 6. Quod enim vivit, vivit Deo. Et ideo ipsa Christi resurrectio non debuit immediate ab hominibus videri, sed eis ab angelis nuntiari. Unde Hilarius dicit super Matth. quod ideo angelus prior resurrectionis est index, ut quodam famulatu paterna voluntatis resurrectio nuntiaretur.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostoli potuerunt testificari Christi resurrectionem etiam de visu: quia Christum post resurrectionem viventem oculata fide viderunt, quem mortuum sciuerant. Sed sicut ad visionem beatam perveniunt per auditum fidei: ita ad visionem Christi resurgentis, pervenerunt homines per ea, quæ prius ab Angelis audierant.

Ad secundum dicendum, quod ascensio Christi, quantum ad terminum à quo, non transcendebat hominum communem notitiam: sed solum quantum ad terminum ad quem. Et ideo discipuli potuerunt videre ascensionem Christi quantum ad terminum à quo, id est, secundum quod elebatur à terra: non autem viderunt ipsam, quantum ad terminum ad quem, quia non viderunt quomodo reciperetur in celo. Sed resurrectio Christi transcendebat communem notitiam, & quantum ad terminum à quo (secundum quod anima rediit ab inferis, & corpus de sepulchro clauso exiit) & quantum ad terminum ad quem, secundum quod est adeptus vitam gloriosam. Et ideo non debuit resurrectio fieri sic, quod ab homine videretur.

Ad tertium dicendum, quod Lazarus resuscitatus est, ut rediret ad vitam, qualem prius habuerat, quæ communem notitiam hominum non transcendit, & ideo non est similis ratio.

COMMENTARIUS.

Resurrectio
cur non pu-
blice facta.

Hic etiam articulus fere non eget expositione. Idem enim D. Tho. querit, quod in superiori, sed quod ibi generatim dixerat de hominibus, hic in specie tradit de discipulis, & Apostolis. Ratio verò eadem est, quia etiam oportuit, ut discipuli, & Apostoli per divinam revelationem acciperent supernaturalia mysteria. Quam aliter hic D. Th. explicat, scilicet, quia debuit servari consuetus ordo divinæ providentiæ, scilicet, ut de divinis mysterijs homines per angelos instruuntur. Et in solut. ad 1. subiungit aliam rationem, nimirum decuisse, ut Apostoli per fidem pervenirent ad visionem. Quamquam enim propter Ecclesiæ commodum oportuerit, ut Christum iam suscitatum aliquando viderent: tamen propter ipsos oportuit, ut paulatim instruerentur, prius per auditum, deinde per visum.

Atque hinc etiam facilis est differentia inter re-
Fr. Suarez. tom. 2.

A resurrectionem, & ascensionem, quam D. Tho. inquit in solut. ad 2. Petit enim cur Christus manifeste ascenderit coram discipulis, & non resurrexerit. Et respondet, resurrectionem omni ex parte fuisse supernaturalem; ascensionem verò quantum ad terminum à quo, qui erat terra, fuisse quodammodo naturalem; licet quantum ad terminum ad quem, transcendat communem hominum cognitionem, & ideo videri potuit, & debuit Christus ascendens, prout elebatur à terra; non verò, ut pervenit in celum. Sed in ista potest, quia licet terra sit subiecta communi cognitioni hominum, tamen ille modus discedendi à terra in se supernaturalis erat. Sicut etiam mors corporis aliquid est cognitioni hominum patens, & tamen recessus ab hoc termino, qui fit per resurrectionem (est enim mors, seu privatio vitæ terminus à quo resurrectionis) non patet communi cognitioni hominum. Respondetur esse differentiam, tum quia inter mortem, & resurrectionem non est medium: sed est immediatus transitus, & ideo non potest videri recessus à termino à quo, quin videatur ipse terminus ad quem: at in motu ascensionis ante ultimum terminum ad quem, sunt multi proximi, qui sensibus hominum patere poterant. Tum etiam quia resurrectio est multo magis supernaturalis, quam ascensio, & in se magis occulta. Non enim potest oculis corporeis videri, sicut ascensio, sed solum per signa, & effectus manifestari potuit, & ideo oportuit ut convenienti ordine ostenderetur. Adde, ipsam resurrectionem, & manifestationem eius fuisse quandam præparationem ad ascensionem. Denique sicut oportuit ut Apostoli viderent Christum viventem post resurrectionem: ita & ascendentem; quia utriusque mysterij futuri erant testes oculati. Est tamen differentia, quia ascensionem non potuerunt videre in termino, quia non poterant videre Christum existentem in celo empyreo, & ideo oportuit, ut conspicerent ipsum ascensum: at verò resurrectio videri potuit in termino, videndo scilicet Christum vivum, & ideo non fuit necesse, ut tunc videretur, cum fiebat. Et aliunde oportuit servari alium modum, & ordinem propter congruentias supra adductas.

In sol. ad 3. ponit D. Th. differentiam inter resurrectionem Lazari, & Christi, cur illa facta est coram Apostolis, & non hæc, scilicet, quia Christus resurrexit ad vitam gloriosam: Lazarus ad mortalem. Adde etiam, resurrectionem Lazari fuisse veluti prænam dispositionem, ut resurrectio Christi fieret credibilis, & ideo oportuisse, ut ab Apostolis videretur, maxime quia ipsi non viderant Lazarum morientem, sicut Christum. Quocirca nisi resurgentem viderent, non posse eis de resurrectione constare, etiam si postea illum vivere conspicerent.

ARTICVLVS III.

Utrum Christus post resurrectionem debuerit continere cum discipulis conuersari.



Ad tertium sic pro editur. Videtur, quod Christus post resurrectionem debuerit continere cum discipulis conuersari. Ad hoc enim discipuli post resurrectionem apparuit, ut eos de fide resurrectionis certificaret, & consolationem per turbatis adferret: sicut undum illud Ioan. 20. Gausi sunt discipuli viso Domino. Sed magis su sunt certificati & consolati, si eis continue suam præsentiam exhibuisset: ergo videtur, quod continue cum eis debuerit conuersari.

2. Præterea. Christus resurgens à mortuis non statim ascendit in celum, sed post dies quadraginta, ut habetur Act. primo. Illo autem tempore intermedio, in nullo alio

ZZ

loco